

REVERENDIS, NOBILIBVS, SIMVL ET OMNIVM VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMIS IN CHRISTO PATRIBVS ET DOMINIS,

Domino Iacobo Deigratia Abbatii insignis Monasterij S. Vdalrici & Afræ: Domino Wolfgango Andreæ Rhem à Kötz I.V. Doctori celeberrimo, Decano
Cathedralis Ecclesiae Beatisima Maria Virginis, nec non Collegiate Ecclesiae S. Mauriti Præposito Augustano dignissimo.

Romanæ eloquentiæ Principis M. T. Ciceronis, Reuerendi Patres ac patroni colendi, hoc inter alia quæm plurima virtutum genera, illustri sanè ac in omnium ore celebrato admonemur exemplo, quo nondum conuulso statu Reipublicæ suæ, eundem usum accepimus, qui summa mortalium contentione, atq; exulceratis mentibus in Tusculanum sese reciperet, ibiç in perscrutandis Stoicorum libris (vt ipse de se se affirmat) non tam liberalium artium & latinæ eloquentiæ formationem, quæ morum institutionem spectaret. Plurimum quoq; excitamur assidua exercitatione, de rerum cōtemplatione, vel hominum vita & moribus, adeoq; frequenti omnium Philosophorum cōcertatione, vt abiectis animis ad rerum tum humanarum, tum vel maximè diuinarum studia, quibus ex medio tenebrarum in apertissimam lucem onane veritatis genus producitur, non solum non reddamur segniores, verū etiam maiori cura & solicitudine, ad earum decus & præstantiam contendamus, vt vel pietate, vel virtute vel deniq; optimarum artium literis probè instructi, Reipublicæ statum dignè administrare, Ecclesiamq; Catholicā, (quam proh dolor calamitosam deploramus) erudiendo, consolando, arguendoq; promouere atq; sustinere queamus. Quorum virtutibus & verè eximijs & nobilis animi dotibus inflammati, quas quidem partim ex celebri fama, partim ex prædicatione laudissimorum hominum & Præceptorum meorum alsidua lectione cognoui, iam verò in hoc iucundo & laudabili Musarum domicilio, non sine magno commodo expertus, saepius mecum sollicitè cogitabam, qua tandem exigua significatione, certocq; meæ eruditionis specimine progressus studiorum declararem: Nihil tamen aptius aut gratius fore arbitrabar, quæ si aliquas Philosophiæ assertiones, ex doctissimis Præceptorū meorū prælectionibus depromerem. Idq; cum plurimorū meorum cōilitonum autoritate, tum obseruandissimorum optimēq; de me meritorum Præceptorum frequēti adhortatione, & præcipue Clarissimi Magnificiç M. Friderici Martini, Præsidis & pro tempore huius Almæ Academiæ Ingolstadiensis RECTORIS dignissimi, hanc prouinciam subire omnemq; vituperationem, ac temeritatis famam sustinere statui. Verū cùm animo mecum perpenderem, cui potissimum hasce meas Philosophiæ assertiones, & publici certaminis labores dedicarem, nemo sanè vobis Reuerendis ac Amplissimis Patribus magis idoneus occurrebat: Non quod tantorum virorum Patrocinio dignas iudicem, sed quod omnes omnium artium studiosos, & maxime Philosophos, summo amore & benevolentia persequamini: atq; ego aliquando quam possum grati animi significationem, tanquam Patronis meis officiosissimis exhibeam. Quare Reuerendi PP. leuidense hoc & tantis Viris minus quidem dignū munusculū, ceu perpetuae obseruantiae pignus æqui boniç consulite, ac ea, qua benevolentia amicissimum, nobilem egregiumq; Virum Dominum Magnum Seytterum, Illustris & Generosi Marci Fuggari &c. Mæcenatis mei plurimum honorandi, Præfectum complecti soletis, eadem humanitate & benevolentia me complexū recipite. Quod si pro vestro consueto in me fauore cognovero, magnus ad vestra pristina erga me studia cumulus accedet. Deus Opt. Max. vos quādiutissimè incolumes conseruet, Ingolstadij 15. die Maij: Anno à nato Christo: 1575.

V. Ampl. Addictis: Casparus Finckelius Philosophiæ Bacca:

SVMMA TRINITATIS AVXILIANTE GRATIA: ANNVENTI BVS, SPECTABILI DECANO, CÆTERISQVE CLARISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS FA- cultatis Philosophicæ Professoribus, in Catholica & celeberrima Ingolstadiensi Academia, subsequentes con- clusiones defendere conabitur, CASPARVS FINCKELIVS Hindellangensis

Almangauus optimarum artium & Philosophiæ Baccalaureus.

EX NATVRALI PHILOSOPHIA.

1. *Vm in tractatione motus frequenter fiat mentio terminorum, à quibus propriè tota ratio motus dependet, nec non plurimæ eaq; pulcherrimæ extens de ijs disputations, non temere factum existimandum est, huiusmodi terminorum doctrinam, scitu dignam, in praesentia tradere.*
2. *In primis igitur motum indigere termino, palam est, tum ex communi sententia omnium ferè Philosophorum, tum ex ipso Aristotele, qui 6. Physicorum ait, omnem motum necessariò habere aliquos terminos.*
3. *Secundum eundem hoc 5. Physicorum textu. 7. probabile esse decernimus, huiusmodi motum, nec pluribus nec paucioribus duobus indigere terminis, uno nimurum à quo, altero ad quem.*
4. *Neminem autem dubitare arbitror, viæ Aristotelis esse consentaneū, omnem terminū mot⁹ debere esse diuisibile, ita vt nō simul acquiratur vel perdatur, sed successiū fiat.*
5. *Neq; minus celebris occurrit quæstio. Vtrum termini motus sint inter se oppositi: Nos nullo obstante aduersariorum argumento, dicimus unā cum Philosopho in hoc 5. Physicorum omnem mutationem fieri inter contraria opposita.*
6. *Termini idem, à quo & ad quem, cùm sint inter se contrarij, nullus sanè negauerit, quin etiam illi à se inuicem specie distinguantur.*
7. *Cùm in omni motu sint duo termini, unus qui abiicitur, alter qui acquiritur, abiectionem illius, & acquisitionem huius, esse unum numero motum, & Aristotelis & aliorum plurimorum approbatione attestamur.*
8. *At verò triplex datur unitas motus, generica, specifica & numeralis: specificam unitatem motus sumi à termino ad quem, non in sius imus.*
9. *Quandoquidem ad unitatem numeralem ipsius motus requiratur, vt sit unum numero subiectum, unus numero terminus ad quem, tempus, sit unum & continuum, non introductum, idem affirmantes, ad constituantem unitatem numeralem motus necessarij omnino adhiberi tempus, arbitramur.*
10. *Sanè secundum ea, quæ superius adduximus, facile quis animaduertet, non absurdum fore, motui aduersari & motu et quietem, huc quidē vt contrariū, hæc autē vt priuatiōem.*
11. *Et licet probabilis videatur antiquorum sententia, afferentium realem motus ad quem differentiā, prior tamē est cōmuni & hodie ab omnibus approbata sententia, quod motus re idem sit cum eo, quod per motum acquiritur, & ratione duntaxat differat.*
12. *Nam in quolibet motu duo sunt consideranda, unum tanquam materiale, quod est ipsa qualitas, alterum quasi formale, quod est continuo fieri & fluere, ac continenter ab imperfecto ad perfectum tendere.*

INGOLSTADII EX OFFICINA DAVIDIS SARTORII.

EX RATIONALI PHILOSOPHIA.

1. *Naturalis quedam tendentia seu inclinatio in hac mundi machina omnibus rebus insita cernitur, vt principio, in quo est ultima sua perfectio, coniungantur.*
2. *Huiusmodi principium hominis, in quantum est naturale, intellectualis, est ipsa prima substantia separata Deus Optimus Maximus, cui mortales non possunt vñiri, nisi intellectuali cognitione, qua naturaliter eum intelligere & scire desiderant.*
3. *Vnde euidenter appetit Peripateticorum principis Aristotelis granissima autoritas, cùm dicit: Omnes homines natura scire desiderant. Vbi sane ostendere conatur, intellectum nostrum esse in pura potentia ad scientiā, nec perfici, nisi per receptionē scientiā.*
4. *Aristoteles in initio primi libri posteriorum Aναλυτικῶν, ipsius scire naturam sic describit. Scire autem arbitramur unumquodq; simpliciter, sed non sophistico modo, qui secundum accidentis est, cùm causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, & non contingit hoc aliter se habere.*
5. *Verū licet sciendi instrumenta varij varia constituant: nos tamen simul cum Philosophorum ornamento Aristotele primo Metaphys. textu 48. minimè dubitamus assertere, omnem doctrinam ac disciplinam, aut per demonstrationem, aut per definitionem fieri, per quæ immediatè scimus & per se.*
6. *Causæ rei aut sunt intrinsecæ, per quas res habet esse, aut sunt causæ, per quas res habet sua accidentia, modò per definitionem rei, essentiam, per causas, ex quibus constat, cognoscimus, demonstratio verò rem per causas accidentium explicat.*
7. *Cùm omne quod scitur, sit vel simplex vel compositum, hoc est, res scitur vel per se vel aliquid inesse rei, simplex illa perfectè cognosci non potest, nisi per definitionem.*
8. *Neq; est quod quis arbitretur, Aristotelem nobis esse contrarium, dum in primo Rhetoricorum cap. 2. inquit, omne quod credimus, aut per inductionem aut per syllogismū credimus, cùm ibi Philosophus sumat credere non simpliciter, sed per discursum.*
9. *Perfectio entis realis secundum nos, vt illam cognoscamus perfectè, eget ente rationis, cognitione autem perfecta rei & ipsius intellectus, pendet à demonstratione & definitione, quæ quin sint entia rationis, nulli dubitandum est.*
10. *Rectè in omni demonstratione tria constituuntur, res, quæ demonstratur, discursus mentis, atq; effectiones quadam seu entia rationis, quæ exultat ex rebus, quæ demonstrantur, prout ab intellectu comprehenduntur.*
11. *Quoniam maximè eum scire dicimus, qui quidnam sit percipit, vt inquit Aristotle 3. Metaphys. textu 3. definitio verò rei substantiam indicat, hanc demonstrationem, quæ accidentium est, longè nobiliorem esse, fateri quenquam arbitramur.*

Disputabunur hæ Theses (fortunante Deo)
die 15. Maij hora & loco consuetis.

A. 157

107